

vestigia voluntatis Christi legerunt, ut omnes quoque partes, quantum id humana fert conditio, absolvarent, ac unice eo tetenderint, ut semel agnitam, & fideliter apprehensam, sibique applicatam veritatem illibatam ac integrum retinerent, & ad fidem præterea defendendam parati forent; quid? quod, dum tanquam anima una ac unum cor fuerunt, non potuerint non, quin singulis sui corporis membris, quæ ad subsistiam essent necessaria, suppeditarent: Id quod commodius vix fieri tunc poterat, quam si opulentiores liberali animo dispensarent illis, qui propter JESUM CHRISTUM omnia reliquerant, & fortean illis, qui ob apprehensionem fidei Christianæ honoribus exuebantur, hæreditatibus excludebantur, ex consortio aliorum ejiciebantur, & quæ non forte alia adhuc ratio, pro isto temporis statu, hanc communionem bonorum toti Christianæ Ecclesiæ per quam commodam & proficuam svadebat.

§. VI.

Ut vero rem meam proprius ingrediar, tunc hominem non esse tumultuarium & incogitatum opus, sed inter maxima rerum suarum naturam nil babere, quo magis glorietur, aut certe cui glorietur. profiteor cum SENECA. Libr. VI. de Benefic. Cap. XXIII. p. m.

510. Parum & de cœtero referre ad causam meam arbitror, ut scruter, quo Philosopho Doctore hæc hauserit? Quisquis etenim ille fuerit, dummodo demonstratum potius habeatur, quod prisci gentium DII & HEROES, quicunque per universum fere orbem culti sunt, earundemque quoque conditores plerosque ac legum latores, totamque Ethnicorum Theologiam, ex MOSE ipso, MOSIS que Actis aut

B ,

Scri-